

## AD LECTOREM.

---

En tertiam trilogiae Aeschyleae fabulam, et ipsam gravibus corruptelis, pluribus fortasse quam duo priores fabulae, depravatam. De editionis hujus meae ratione quum jam alibi dixerim, plura hic addere supersedeo. In emendationem textus operam et curam quam maximam impendi, nec tempori nec labori parcens. Textum tamen hujus fabulae eo quem nunc habemus unquam multo puriorem exstiturum esse vix sperare licet.

Aeschyli Oresteam ediderunt etiam J. Franz (1846), Th. Heyse (1884), N. Wecklein (1888), et popularis meus A. Sidgwick (1887), quas editiones, duas praesertim postremas, cum fructu non exiguo consului. Praeterea singulares hujus fabulae editiones scripserunt G. Wakefield (1794), Schwenck (1821), G. Burges (1822), K. O. Müller (1833), W. Linwood (1844), G. F. Schoemann (1845), R. Merkel (1857), B. Drake (1870).

In textus conformatione plurimas aut aliorum, nonnullas injuria neglectas, aut meas ipsius emendationes intuli, non paucas immerito ab aliis editoribus illatas ejeci. In nonnullis locis manifesto corruptis dramatis oeconomiae et sententiae sustinendae causa conjecturas liberius adscivi, ita tamen ut semper in annotatione critica lectiones codicum subjicerem. Si forte mihi alteram editionem parare contingeret, nonnulla fortasse ut justo audacius in textum recepta revocanda, nonnulla resecanda, non pauca corrigenda mihi viderentur. Quod si aliquando erravero, ut humanum est errare, aut nimis audax fuisse videar, lectoris ut in opere perquam difficili et lubrico indulgentiam benignam rogo.